32

Q. D. B. V.

De

PANACEA MERCURIALI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE

AC DOMINO,

DN. HENRICO FRIDERICO

DUCE WÜRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ,

COMITE MOMPELGARDI, DYNASTA IN HEIDENHEIM,

JUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,

SUB PRÆSIDIO

RUDOLPHI JACOBI CAMERARII

Medic. Doctoris & Profeſſoris Ordinar.

PRO LICENTIA,

Summos in Medicinâ Honores legitimè capeſſendi,

Publicè reſpondebit

JOHANNES CASPAR, Hagenl.

Ad Diem . Novembris,

TUBINGÆ,

EX TYPOGRAPHEIO GEORG-HENRICI REISII,

ANNO M. DCC.

J. J.

Libet pro conceſſa hactenus libertate ſeligendi thema decerpere florem ex Regno Minerali, & excurrere ad Chymiam, cujus Inventa tam ſunt multa, tam pulchra, omnia lucifera, ſi non æquè lucrifera, imò plerumq; ita comparata, ut dum rerum naturam declarant, ſimul medicamenta præbeant, & viciſſim: Sic nexu benè arcto junguntur Phyſicis Medici. Miſſis generalibus, ſiſtitur hîc pro Exercitio Diſputatorio Examen Medicamenti Chymici, cujus fama ab aliquo tempore è Galliis ſub ſpecioſo Panaceæ Mercurialis titulo percrebuit: Hujus parandi modum & integrum Proceſſum non capit pagellarum anguſtia, nec opus eſt eum prolixè & operosè transſcribere; proſtat enim plenè traditus recentiſſimè inter Polychreſta Exotica Dn. D. Valentini, Prof. Gieſs. Celeb. uti & Chirurg. Dn. Clerc, *quò nobis nos referre liceat in totum. Hoc præſuppoſito nil obſtat, quo minus ad ipſam ſtatim tractationem deſcendamus, & cum benè fœcunda occurrat materia, unum notabile poſt alterum ponderemus. Juva Jehova!*

PRimò, in præparatione Panaceæ Mercurialis inſigne eſt exemplum Diacriſeos, idque duplex: Reſolvitur ante omnia Cinnabaris in Mercurium, aut ſeparatur Mercurius è Cinnabari. Occaſio huic ſeceſſui datur per additionem anaticæ portionis Limaturæ Martis optimè depuratæ; quamvis enim communis modus eliciendi Mercurium è Cinnabari, ſimpliciter & absque additamento inſtituendus, deſcribatur ſimilis deſtillationi per deſcenſum dictæ, alios tamen revivificandi modos expediunt varia, quæ Limaturæ dictæ æquipollent. Fundamentum dimiſſionis conſiſtit in novis amplexibus, quos molitur cauſa Mercurium prius detinens cum alio noviter accedente, ipſi, ſi fas eſt hîc ita loqui, magis amico, aut congruo corpore: Unde quam alii Reſuſcitationem præſcribunt obti-

pendam beneficio calcis vivæ, prærogativam aliquam habere vix videtur, nec viciſſim. Equidem Tartarus quoque calcinatus, cineres clavellati, & quæ plura ſunt hujusmodi, paria præſtant cum dictis; quem verò ſimplici Cinnabaris lixivio incoctione ſecerni Mercurium quidam prætendunt, alii negant; quod hîc tranſeat.

Secunda Diacriſis reproducit è Mercurio ſublimato Mercurium vivum, acceſſu Reguli Antimonii optimi quartæ partis; quamvis enim per eadem additamenta è ſublimato, uti è cinnabari elici poſſit vivus, tamen & hâc ratione, dum ſalia aggrediuntur Regulum, eâdem operâ butyrum Antimonii componunt, ſimul currens & à compedibus liberatus dimittitur Mercurius; quem alibi etiam Regulus è Cinnabari ſulphur ſibi præripiens avolare ſinit. Cæterum hic poſterior reproductus, ſive reſuſcitatus è ſublimato Mercurius in alterâ deſcriptione omittitur; an quâ ſuperfluus? uſus ejus eſt, ut cum corroſivo junctus dulcem conſtituat: Niſi ergò nova hinc accedens perfectio comprobetur, poterit ſufficere purior è Cinnabari obtentus, pro multiplici per integrum proceſſum uſu; aliàs ſuperflua non nocent.

Non minus notabile in proceſſu ſiſtitur exemplum Syncriſeos, idque triplex: Supponitur ante omnia Cinnabaris; paratur ab hinc Mercurius ſublimatus; isque tertiò per novam ſyncriſin fit Dulcis. De ſingulis ſigillatim. Primo loco ſtat Cinnabaris, ſed non determinatur, quæ & qualis? Suppetunt duæ artificiales, vulgaris, & quæ ab Antimonio nomen habet, Tertia eſt nativa foſſilis. Jure hîc arguunt Chymici, oriri per conſimilem planè ſyncriſin in ſubterraneo Naturæ laboratorio Cinnabarin, quâ componitur in laboratoriis artificum; niſi quòd præcellentia quædam paſſim ſoleat adſcribi nativæ Hungaricæ, tanquam de Sole Chymicorum participare creditæ. Ex quo quidem capite argumentum deſumi poſſet pro Mercurio ex hac potiſſimum Cinnabari nobiliore reviviſicando; maximè ſi, quod Chymici docent, & Mercurii Animati tanquam novæ Syncriſeos ſingulari exemplo probant, metallicus ille liquor non nihil de auro ſibi miſcere, & in intima ſua conſtitutiva aſſumere ſolet. Enimvero alterum corpus quocum Mercurius concreſcit in Cinnabarim eſt Sulphur, ſive vulgare, ſive Antimonii, ſive quodcunque tandem; hæc ſunt duo ingredientia, è quibus per ſyncriſin oritur Cinnabaris,

aut ſulphur eſt alterum diviſionis membrum, quod ſervum illum fugitivum ligat, cujus quidem in proceſſu præparandæ Panacéæ mentio non fit, cujus tamen, utut in multo minore quantitate concurrat quàm Mercurius, magni pro Medicina æſtimantur vires, ſive ſolius & ſeparati, ſive cum metallo conjuncti, uti quidem ipſius Mercurii Diaphoretici titulo quidam donant Cinnabarim frequenti ſublimatione toties exercitam, usque dum non amplius aſcendat, vel eandem in ſua principia reſolutam, ex iisque principiis purificatis denuò conjunctis reproductam. Secundum ſyncriſeos productum eſt Mercurius ſublimatus corroſivus, oriundus ex conjunctione Mercurii, & Salium, quæ hic ſunt Vitriolum calcinatum ſub anaticâ portione, & tantundem Salis exſiccati. Tertio demùm loco conſtituitur per ſyncriſin Mercurius Dulcis, ſupponens corroſivum priorem, eique ſuperaccedentem novum Mercurium vivum, quantum ille ſcilicet capere & occultare poteſt, ad plenariam ſui ſaturationem.

Operationes ad obtinendum utrumque dictum ſcopum deſtinatæ, ſunt pro diacriſi Deſtillatio, pro ſyncriſi Sublimatio: Idem quidem eſt Ignis qui utrumque præſtat, qui jungit & ſeparat, ſed determinatus ad tàm diverſa, tanquam cauſa in ſe indifferens & univerſalis, pro diverſâ corporum in quæ agit diſpoſitione, omniumque circumſtantiarum oc- & concurſu. Separat autem ita, ut hîc opus habeat cauſâ quâdam mediatâ, ſive tertio interveniente, tum in altum urget Mercurium, qui jam ipſe eò propendet: Scilicet dum terrea, alcalica ſulphur & acidum ſibi appropriant, ignis reverberationis metallicas moleculas è retorta propellit in Recipientem, cujus in aquâ recolliguntur. Altera operatio eſt multiplex Sublimatio, ad quam quidem ſingula ingredientia jam inclinant ſeorſim: Flores 🜍is proſtant in officinis, flores Salis in deſtillatione ſpiritûs tandem ignis vehementiâ aſcendunt; Mercurius autem abſolutè audit ſervus fugitivus. Arripitur tamen aliquomodo ab ipſis ſalibus, quibus cum junctim aſcendit, & in materiam cryſtallinam in ſummitate ac lateribus vaſis (humilis cucurbitæ, alembico ſuo tectæ) coagulatur, atque repetitim, ſemel adhuc cum ana Salis & dimidio Vitrioli, quinquies cum Sale, tandemque ſolus elevatus elegantiſſimus perficitur. Hic aptus eſt, cui noviter nubat ☿ius vivus, atque ita gravidus aſcendat, novâ imò vel novies repetitâ ſublimatione, quoties à fœcibus & farina inutili liberatur, ad perfectionis apicem evehendus.

 Præ-

Præter alias operationes, quæ prioribus ſubordinantur & intercurrunt, notari etiam meretur ſolutio Mercurii vivi in ſpiritu nitri, quo quidem per arenæ ignem abacto fatiſcit in pulverem, præcipitatis communiter accenſeri ſolitum, utut impropriè talibus, cùm ad calcinata referatur ab aliis, aut per analoga, ex aliorum metallorum per acida menſtrua ſolutionibus obtinenda, ⊖la & crocos illuſtrari poſſit. Eſt autem hæc operatio præparatoria, pro mixtione exactiore ☿ii cum ⊖ibus, ad componendum ſublimatum corroſivum, quæ aliàs etiam è ☿rio vivo cum iisdem ſalibus permixto inſtituitur, facilitata aſperſione aceti: Uti & dulcem procurant, qui crudum cum ſoluto à menſtruis, exiccato & edulcorato, aliquoties ſublimant. Finem proceſſui addit & complementum Panacéæ, ipſius vel tandem ita obtenti ☿ii dulcis, jam in alcohol contriti, ſolutio per ſpiritum vini optimè rectificatum, ſenſim obtinenda, decantanda, digerenda, quam abſtracto ſpiritu ultima inſequitur reſiduæ Panacéæ cum mucilagine tragacanthi in grana variæ magnitudinis confectio.

Effectus qui per has operationes obtinentur, ſunt multi & varii, inque iis merentur notari phænomena egregia; præcipua huc redeunt. Obtinetur è ſolido & conſiſtente corpore ☿ius currens, & viciſſim fluidus ſiſtitur: Ex Albo, item ex albo & flavo fit ſummè Rubrum: Acerrimum linguæ teſtimonio mutatur in dulce, Sal fit inſipidum. Equidem comparet ſæpius ſub rubicundo ſchemate ☿ius; nam præter præcipitatum rubrum & corallatum notabilis maximè eſt, qui per ſe præcipitari dictus, ſine additamento ſolâ ignis vi in pulverem rubicundiſſimum inſtar Cinnabaris convertitur, imò dum communiter dulcis ſublimatur, rubri quid circa fundum notatur. Tot larvas induit hìc Proteus, rubet hìc cum ſulphure, alibi cum eodem nigricat, videlicet in Æthiope minerali, quem vid. in ſcriptis Mayerne & Harris, & à quo diſtingue pulverem Mortono dictum Æthiopicum, quippe animalem: Tantum valet Ignis, tot novarum, ſive formarum, ſive qualitatum autor.

Movetur quidem Ipſi controverſia ſtatûs, hìc non prætermittenda, dum vocatur in dubium ſpecioſus, quo inſigniri voluit, titulus, & haberi pro genuino & legitimo corporum Analyſta; Arguitur enim paſſim, Ignem corpora non ſolùm reſolvere, ſed & immutare, adeò ut talia chymiæ opera rarò pro principiis actu mixtis in-exiſtentibus, ſed ſæpius pro novis compoſitis haberi poſſint, & debeant,

beant, quæ ſub novis ſubſtantiæ modis, & qualitatibus recens aſſumtis nunc exiſtant; Unde jam olim Sennertus duobus finibus Chymiæ Solutioni & Concretioni, tertium Immutationem ſuperaddidit, ſed in ſpeciebus aſſignandis rem non æque acu tetigit.

Verum enimverò in applicatione ad præſens negotium, Ignis ſatis adhuc tueri videtur illud ſuum prædicatum; quamvis enim mutatio utique hîc intercedat magna & multa, Diacriſis tamen & Syncriſis ipſi non opponenda ſed ſubordinanda erit, aut ſi placet advocanda Metaſyncriſis, quatenus addendo, detrahendo, & transponendo totum peragitur negotium. Videtur manere utrinque Mercurius, quod erat olim, nec ſubſtantialiter mutari, nec Sal & 🜍 ipſi accedens, aut recedens tale quid pati: Ut ferè analogiam quandam exhibere poſſint pro elementorum repræſentatione qualicunque, in eorum ſcl. ſententia, quibus ipſa ſecundum primævas ſuas à Creatore conditas & figuratas particulas ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia, inque omni adeò mixtione intransmutabilia. Non eo ſenſu, quaſi ☿ium vulgarem pro ſimplici corpore venditare liceat: Chymicis altioris ordinis id relinquimus, an & quomodo ☿ium in principia è quibus conſtat reſolvere, uti & è metallis vel per diacriſin, vel per ſyncriſin (ipſi enim non conſentiunt) obtinere poſſint; ſed quòd ſolùm in noſtro proceſſu maneat ☿ius irreſolutus, & ſtare poſſit pro ſimplici, è quo alia componuntur, aut ſi ipſe ſit mixtus & compoſitus, è quo oriantur decompoſita. Parilis ratio eſt Sulphuris, cujus difficultates hic ſeponimus, (an principium ſit, an ex acidâ per ſolam diacriſin obtinendâ, & inflammabili tantillâ portione componatur?) Nam & hoc in proceſſu ſiſtitur, ut in partes heterogeneas non divulſum. Reſpondet ergò in Cinnabari & Sublimato Geneſis Analyſi, & viciſſim, cumque alibi quæ per ignem obtinentur, etiamſi remiſceantur tamen priſtinam naturam non reſtituant, (ne vini quidem ſpiritus reſiduo reaffuſus priſtinum mixtum reddit:) In noſtro tamen proceſſu methodus Genetica & Analytica mutuò ſe illuſtrant, & confirmant; cui ad latus poni ſolent Vitriolum ex acido & metallo, Ammoniacum ex acido & urinoſo, Nitrum & certo acido & alcali (cujus tamen ſimplex diacriſis dubia) componendum, & in hæc principia reſolvendum.

Si conſulantur fontes Phyſici, pro reddendâ talium phænomenorum ratione, quod hactenus Philoſophi corpuſculares ſuppeditant,

ſed

ſed quod quàm ſatiet veritatis inquiſitores, conflictus docebit, huc redit: Ex parte moventis, ſupponitur æther fluidum univerſale, ubique neceſſarium, & pro igne ejus motus rapidiſſimus cum innatantium rotatione divulſoria; Ex parte movendi, ſiſtitur ☿ ut congeries ſphærularum miræ ſubtilitatis, exquiſitæ rotunditatis, facilis mobilitatis, & è quibusdam compoſitis ☿ialibus globulorum formâ reſplendere microſcopiorum teſtimonio perhibetur, quamvis etiam Aliis placeant analogæ aqueis certæ anguillulæ; Quæ accedunt, ramos & hamos ad implicandum aptos habere dicuntur, aut ſpicula, quæ ſe interponant, & infigant. Fluidus itaque erit ☿, quamdiu ipſum liberè perfluit æther, jugique motu rotat globulos: Obtinetur per diacriſin, ſub concurſu impetûs ignei & minutiarum ſphæricarum minimè cohærentium, vi cujus de uno verificatur ſumma (excepto auro) ponderoſitas & volatilitas: Concreſcit variè per ſyncriſin, impedimenta motûs admittens, ſive infixas poris, ſive interpoſitas ſphærulis ramoſas aut acutas particulas, quod exemplo globorum ad motum ineptorum, dum infixos gerunt clavos, illuſtrant. Porrò argenteâ albedine nitet ☿, quando ſpecularis eſt, & vi ſuperficiei ſuæ politæ atque lævigatæ radios liberrimè reflectit, dum verò cum ſulphure, ſale, & metallo albus, incarnatus, ruber, flavus, viridis, niger fit, in genere quidem alias atque novas usque ſuperficieculas luci obvertere rectè dicitur, ſed in quo diſpoſitio particularum & modificatio radiorum conſiſtat per eas colorum differentias ægrè determinatur. Denique ☿ ſibi relictus, globulis ſuis ſuper linguæ papillas decurrens ſenſum non afficit, echinatus autem, ſi fas eſt ita vocare veſtitum ſpiculis ſalinis, graviter ſævit, usque dum obvolutis iſtis ſpiculis denuò mitigetur, tum lædere prohibet, inſtar vaginæ quæ gladium recondit.

His præmiſſis, ad Quæſtionem principalem, quæ Medicos propius tangit, pergendum: An hæc Panacéa verè omnium morborum remedia promittat? Negari nequit, Chymicos eſſe liberales in largiendis ſplendidis titulis, uti etiam hæc non prima eſt ☿ii præparatio aut compoſitio, cui Panaceæ nomen impoſuerunt; ſi tamen quod res eſt fatendum, videtur fore tàm Chymicos, quàm ita dictos Galenicos, qui titulum hujus Panaceæ impugnabunt: Hi, qui non modò triſtia fata meminerunt à ☿io, loco dulcis, heu! corroſivo, miſeris exhibito, adeoque ob faciles errores à talibus ſibi metuunt, ſed qui etiam

am ritè parati uſum non omnes indiſcriminatim ferre, ſed quosdam malè affici, notant: Ex Illis, qui meliora vel jactant, vel habent, qui inter vulgaria referunt, quidquid circa hanc Panacéam agitur, oggerentes illud: ☿ium, quamdiu eſt volatilis, non eſſe remedium boni viri. Nobis ſi quid dicere licet videtur, hanc ita dictam Panaceam in morbis ubi indicantur ☿ialia, laudem mereri, uſurpari poſſe non modò innoxiam, ſed & fore ſalubrem, ſi juxta præſcriptas ſub finem toties citati proceſſûs regulas cautè & circumſpectè præbeatur. Optandum utique ut omnes proceſſus Chymici, qui tàm facile loco medicamenti venenum dant, tanta ac tali diligentia, accuratè & ſolicitè elaborarentur. Inventum autem quod ſpectat, novum illud non eſt, nec egerunt hic aliud Galli, quàm in actum collectivè deducere, quod in monitis apud Schrœderum aliosque proſtat communiter. Non ergò huic Gallorum remedio concedunt præparationes, laudatæ non ita pridem *in Diſp. de Gon. ſub Præſidio Excell. Dn. Doct. Zelleri.*

Paucis, hæc Panacea eſt ☿ius dulcis benè præparatus. Bonitas probatur ex capite non uno; Primò bonus eſt, qui in toto proceſſu adhibetur ☿ius ipſe, ideò quippe tàm diligenter mundatur. Poteſt concipi melioratio duplex, una quæ fit per detractionem, altera quæ per additionem: Hæc per conjunctionem metallorum aliàs fieri ſolita, vi cujus ☿ non modò præcipitatus cum Sole & Luna, per acceſſum Veneris & Jovis viridis & diaphoreticus, ſed & ſublimatus cum Auro & Regulo, item cum Argento foliato, Solaris, Lunaris famâ celebratur; Hæc, inquam, hîc non occurrit, niſi fortè ex Hungariæ mineris aliquid ſervare credatur. Quæ autem per depurationem ab inquinamentis fit, illa omninò hujus loci eſt, & tanta diligentia perficitur, ut ſcil. liberetur tàm ab inutili, & noxio, quod è cuniculis terræ ſecum detulit, quàm quod ſub fraudulentis manibus aſſumſit, qualia perhibentur heterogenea arſenicalia, antimonialia, ſaturnina, cadmioſa; His abigendis deſtinatur deſtillatio ex cinabari & ſublimato, & noviter ita obtenti ulterior ſolicita depuratio per trajectionem per corium, per lotionem in 🜄e & aceto, ubi occaſione nigredinis ſubinde ſe offerentis tàm ſunt qui ſeceſſum impuri ita demonſtrari putant, quàm qui totum ☿ium vel tandem ita converti poſſe prætendunt. Secundò, benè præparatus dicitur ob bonitatem ☿ii Sublimati; expreſsè enim & alibi monemur, ut ſublimatum ipſi paremus, neque communi apud Trochiſtas vel Thraſones venali fidamus, cum facilè

particulis arſenicalibus adulterari poſſit. Si verum foret, quod quidam volunt, ☿ ium ſalivam movere non per ſe, ſed per accidens, quà de arſenico participat, omni tamen hàc induſtriâ nihil eſſet obtentum; ſed nos illis non accedimus. Suppetit aliàs Bonitatis criterium in colore, quem ſi ab acceſſu lixivioſi ſalis flavum, turpethi mineralis æmulum, (album cum ammoniaco ſublimatus) exhibeat, ab illa labe immunis pronunciatur, ſecus ſi nigrum.

Tertiò hunc in cenſum referri poteſt frequens ☿ ii dulcis ſublimatio, de quâ aliàs variant Chymicorum judicia, dum hi parcam volunt, una atque altera ſublimatione contenti, quam illi ſepties aut novies inſtituunt, eo ipſo autem vim purgantem minui communiter notant; quò refer ſolicitum diſcrimen ſcoriarum, quas & circa fundum, & deſuper obvias aut rejiciunt, aut pro uſu externo reſervant. Quartò, conſideranda eſt acceſſio ſpiritûs vini ad ☿ ium dulcem jam ritè paratum; ſolet communiter coagulum illud cryſtallinum pulveriſari, atque cum aqua calida, ad inhærentes forte corroſivas particulas tollendas, elotum exiccari: Alii ſalivans pro uſu interno parant ex ipſo ☿ io dulci, ſuper affundendo ei adhuc ſpiritum ſalis Ammoniaci, donec pulvis evadat niger vel gryſeus, quem edulcorant & ſiccant: Hìc autem pro ☿ ii dulcis perfectione, ſumitur vini ſpiritus, non deſuper accendendus, ut aliàs Cinnabaris flos cum flamma alcoöl vini fixatur à C. Maets, Panacéæ titulo quoque donatus, ſed poſt longam digeſtionem abſtrahitur: Quale quidem complementum communiter plerisque ☿ ialibus & ♁ ialibus præparationibus ſolet ſuperaddi, nec immeritò, cùm ſalium ſpiculis mitigandis ſæpius inſerviat; Imprægnatur autem hìc etiam ambræ & aromatum odoribus.

Hic ita prolixè deductus Mercurius audit remedium ſpecificum morborum plurimorum, & genuinum ſanguinis mundificativum, hinc præter uſum & agendi modum nil amplius reſtabit. Circa illum duo ſunt, morbi, contra quos, effectus, propter quos, exhibetur: Inter illos primo loco ſtat famoſa apud gallos, imò ubi non? lues, cum ſuis dependentiis, hujus enim ſpecifica antidotus eſt Mercurius, quæcunque jam præparatio præſtantior ſit, Mercurii autem antidotus, ut vult Liſter, quajacum. Dum porrò quos necat vermes citantur, recordamur conjunctæ dulci Mercurio cinnabaris, quam in felici uſu fuiſſe B. Volcamero accepimus; Occaſione ſcabiei optamus, ut tam tutus eſſet externorum ſulphuris & mercurii uſus, quàm eſt certus;

Circa

Circa ſcorbutum autem ſubindè offendimus adhuc, qui Hartmanno accedunt, qui de ipſo ita: Mercurius hîc planè exſulat; additque rationes. Omnes proſequi morbos non licet, ſed hoc ipſo arctos panaceæ terminos non ponimus, utut eos etiam nimis ampliandos non concedamus.

Inter effectus notabiles in proceſſu potiſſimum attenditur vis ciendi ſalivam, quæ utique generoſum fundat remedium, cujus circumſtantiæ, ordines doſium, præmittenda & interponenda, balnea, enemata, purgantia, venæ ſectio, diæta, &c. proſtant loco citato, tribus exemplis illuſtrata, quibus communes practicorum cautelæ utiliter jungentur. Alibi autem à gallis hanc panaceam laudari legimus ex hoc capite, quòd luem curet, ſans tenir chambre, ny étre obligé à aucune diete, quorum hoc non nimis laxè accipiendum, illud eò valet, ut duro quidem nodo durusſquæratur cuneus, levior autem & minor luis gradus doſes ad fluxum invaleſcere non poſcat, ſed & opem ſine ipſo admittat. Eſt inſuper manifeſta panaceæ vis laxativa alvi, mitior utique, ut dictum, non tamen nulla; Imò ut ab aliorum mercurialium uſu longo & largo ita & à Panaceâ tandem notatur fluxuum alteruter, vel oris vel ventris. De cætero famoſa eſt utique purgantium cum hoc mercurio in lue & aliis morbis conjunctio, tum enim mutuò ſe juvant & expediunt, nec tamen ad illum exceſſum nos devenire jubent, quaſi nullum amplius ſine mercurio dulci præſcribi poſſit purgans.

Denique Modus agendi obſcurus eſt & audit ſpecificus: Reſolvit primò ☿ius lentorem humorum & aperit obſtructiones poſitivè, ſummè mobiles globulos poris omnibus accommodando; Secundò privativè, cauſam omnis coaguli arripiendo & infringendo, quò ſpectat in ſpecie acidum venereum per alcali mercuriale ſubjugandum. Quid porrò cum ſalibus fiat variè determinatur: Hi globulos ab iis in ſtomacho liberos quaquaverſus dimittunt, illi per globulos eaſdem intimius ad anguſtias partium perducunt, quò ſolæ penetrare non poſſent; Modò dicuntur obvia in corpore ſpicula confringi, modò ad acriorem vim roſivam hoc occurſu & conjunctione exaltari, vario utique fato. Quod in putredine animatum eſt & verminoſum, ſive cauſæ ſive producti ſ. utriusque rationem habeat, in hoc metallo præſentaneum habet venenum, quocunque tandem modo agens. Alterationem cauſæ morbificæ excipit ejusdem expulſio: Inter partes

enim quas maximè afficit mercurius attenduntur inprimis glandulæ illæ etiam obviæ per tractum longæ ab ore ad anum fiſtulæ, per quarum tubulos ab ipſo globulorum tranſitu patentiores jam dum fluxile ſerum in copiâ exundat. Alii ex ſolidis cerebrum cum nervis à mercurio peti urgent, alii dentium vitæ ex mirâ ratione inſidias ſtrui volunt, lymphæ ductibus (ſed cur his ſolis?) ſtuporem induci vult Liſterus, ut ſerum in vaſis ſanguineis accumulatum per glandulas cogatur exundare, &c. Omnia hæc ingenioſè, ſed veremur ut ſatisfaciant rigido examinatori, qui ſi in conflictu gravius nos urſerit, tum ad ſpecificas, occultis æquipollentes, facultates, tanquam ad commune aſylum refugere nos non pudebit, quod præſtabit utique, quàm verbis fucum quærere. Hîc ergò ſubſiſtentes, Deum nobis noſtrisque ægris propitium precamur, memores vulgati:

Nî Deus adfuerit, viresque infuderit herbis,
Nil te dictamnus, nil Panacéa juvant.

COROLLARIUM.

Panaceæ Panaceam, mercuriali antimonialem ſuperaddunt Galli, ſub titulo Vniverſalis à Laud. Valentini deſcriptam. Scilicet hæc duo mineralia metallis finitima, aut ſemimetalla magnâ medicamentorum ſupellectile officinas exornant, & in eo conveniunt, quòd non tam ſtimulando acui, quàm figendo cicurari velint. Antimonialis eſt poſterior, paranda quippe ex Butyro Antimonii, quod utut ex mercurio ſublimato partim, & cum vivo unà per deſtillationem obtineatur, non tamen mercurii ſed antimonii particeps, aut ſpiritus potiſſimum ſalis antimonio turgens, agnoſcitur à Chymicis v. König in Regno Minerali. Vti mercurius vitæ (vel potius antimonium ex butyro per aquæ affuſionem præcipitatum) aliàs cum mercurio dulci ad analogiam febrifugi Riveriani in mitius purgans abire notatus, laxativumq; minerale fit mediante fuſione cum nitro & triturâ cum ſale communi: Vti correctio florum antimonii inſtituitur ab his per oleum tartari, ab aliis per tartari ſal aceto imprægnatum, concurrente ſpiritu vini aromatiſato, &; tum dat pulverem, qui amat reſolvi in aëre: Sic butyrum antimonii cum duplo cremoris aut cryſtallorum tartari mixtum, quadruplo aquæ dilutum, & æquali porrò cryſtallis quantitate olei tartari deliquati refractum, filtratur, evaporando ſiccatur, & aëri exponitur, ut abeat in liquorem: Qui eſt ipſiſſima Panacea Vniverſalis, ſub doſi 15. 18. guttarum ἄνω ϗ κάτω purgans, à quo non ſolum ægri ad curam luis præparandi vomuiſſe & alvum dejeciſſe largiter ſcribuntur, ſed & alii contumaces morbi expectent medelam. Paucis, novum ita & bonum habemus Tartarum Emeticum, & locupletatam materiam medicam, quâ benè uti qui vult, ſalutares practicorum cautelas non deſpiciat.

FINIS.